



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Lvcaë Pinelli Societatis Iesv, Theologi, Exercitia
Spiritualia Qvdraginta, De Sacrosancto Eucharistiæ
Sacramento**

Pinelli, Luca

Coloniae, 1608

Christvs Sanctissimvm Eucharistiæ Sacramentum instituit. Matth.26.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59691)

DE PASSIONE CHRISTI. 17
CHRISTVS SANCTISSIMVM
Eucharistiæ Sacramentum instituit.
Matth. 26.

PUNCTA MEDITATIONIS.

I. **C**ONSIDERA, quomodo benignus
Iesus amoris igne estuans, ex hoc
mundo discessurus, non contentus quod
se nobis in magistrum & Redemptorem
donasset, voluit etiam se nobis in cibum
largiri, vt ætissimè nos secum vniret, de-
oque sanctissimum Eucharistiæ Sacramen-
tum instituit, in quo nobiscum habitaret, &
à nobis manducaretur.

II. **C**ONTEMPLARE, quod Chri-
stus eximio hoc dono & amoris pleno nos
impertiuert, quando illi proditores, &
flagella præparabantur: vt demonstraret,
se maiorem nostrorum commodorum,
quam suorum suppliciorum rationem ha-
bere.

III. **M**ENTE reuolue, quod Christus vo-
luerit hoc cæleste manna, nobis in præsen-
ti vita esse cibum, fulcimentum, amoris
sui memoriam, & pignus æternæ glo-
riæ.

DOCV.

1. **F**ili si munda cum conscientia panem hunc
 Angelicum sumpseris, vnieris Christo: si au-
 tem maculata cum conscientia eundem vsurpare
 presumpseris, Demoni vt Iudas sociaberis.

2. Magnitudo doni, excellentia donatoris, et
 hominis cui hoc donum collatum est, vilitas, con-
 tra te sententiam ferent, si donum hoc non susceperis
 aut estimaueris quantum debes.

3. Iuste sempiterna gloria tibi negabitur in
 caelis, si eiusdem gloria pignus, à te malè habitum
 fuerit in terris.

COLLOQVIUM.

Quam admirabilis est hic thesaurus,
 quem tu pie I E S V, ex hac vita mi-
 graturus, nobis reliquisti; est enim vti Pro-
 pheta affirmat, omnium operum tuorum
 mirabilium compendium: quia in eo po-
 tentiam, sapientiam, bonitatem, & miseri-
 cordiam tuam infinitam, demonstrasti.
 Amplius fugere non potest homo, quan-
 doquidem tali amoris vinculo eum tecum
 vniuisti, vt per cœlestem hunc cibum Filius

DE PASSIONE CHRISTI. 19

De i, & vnus tecum spiritus constituatur.
Sed quis factum hunc panem manducare
audeat? Quis t̄atum thesaurum in quo cor-
pus, anima, & tota diuinitas tua simul con-
tinentur manibus contingere pr̄sumat,
quandoquidem de illo scriptum est, quod
sicut vita est bonis, ita malis mors est? Quis
autem tant̄e probitatis est vt diuino hoc
conuiuio dignus habeatur? Te benignissi-
me I E S V supplex rogo, vt qui eximio hoc
beneficio me ornare dignatus es, gratiam
itidem mihi largiaris, ne illud inquam in-
dign̄e suscipiam: vt quemadmodum te mi-
hi in terris contulisti in cibum, ita te
mihi in c̄elis dones in pr̄mium,
vbi tuam magnitudinem in
omni æternitate laudi-
bus celebrem.

CHRI.